DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCARLATINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS THOMSON,
Scotus.

IV. Nonas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIV.

Dedication leaf wanting

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

Auctore Gulielmo Thomson.

Morbi Cutanei dicti attentionem medicorum nuper multum occuparunt, plurimique ingenium haud parvum atque felicitatem inter eosdem sanandos ediderunt. Horum locum primum occupant Willan et Bateman, qui laudes sibi meritas pepererunt, utpote qui in lucem et ordinem olim dubia et confusa reduxerunt. Hoc genus morborum, non solum ob frequentiam eorum sum-

mam, sed quoque ob attentionem maximam medici sæpe postulatam et etiam nonnunquam superatam, est insigne: et quia contagium hujus febris, cum sit virulentum, quam cujusvis alterius facilius propagetur, ideoque magis metuendum, et quia oportet omnes summos medicinæ honores ambientes aliquid de re medica in medium proferre et lucide illustrare, de Scarlatina scribere mecum statui, non spe inductus aliquam rem novam edendi, sed ut legibus hujus Almæ Academiæ obtemperem. In paginis igitur sequentibus, quæ audivi vel legi de morbo supra dicto memorare pergam.

Antiqui hunc morbum vix cognovisse videntur; quoniam in scriptis suis fere nihil de eo tradiderunt. Ludovicus Mercatus, medicus Philipporum Primi et Secundi, primus fuit, qui anno millesimo sexcentesimo et decimo quarto Scarlatinam ut morbum proprium descripsit: quia per multas provincias istius regionis tunc grassabatur, et inde in Melitam, Siciliam, aliasque insulas in Mari Mediterraneo sitas, transiit: et postea in Neapolin, ubi modo pestis in illa urbe sæviebat. Sub hoc tempore in partibus Italiæ di-

versis erupit; et postea in aliis regionibus Continentis Europæ deinceps exorta est.

In Britanniam circiter annum 1689 introducta est: et tum teterrime per æstatem hujus anni Londini prævalebat, ut pro specie pestis haberetur. Hic morbus tamen idem ac Rubeola, forma tantum eruptionis diversa, existimatus est. Sed inter Medicos Anglicos qui de Scarlatina scripserunt, FOTHERGILL illustris, qui eandem Londini annis 1739 et 1748 grassantem bene descripsit, primum locum occupat: sub idem tempus Doctor COTTON quædam de genere Scarlatinæ tunc temporis in Sanctis Albanis grassantis edidit, et quamvis indole mitiore prædita, idem morbus evidenter fuit epidemicus, et ex eodem contagio ac ille quem FOTHERGILL memorat, originem trahens: hic fortasse Scarlatinam Anginosam et Cynanchen ulcerosam eundem esse morbum, nullo indicio præterea existente, satis demonstrat. Paucos post annos a WALL et HUXHAM ut prope Worcester et Plymouth grassata est; et temporibus exinde a plurimis scriptoribus medicis, sed a nullis accuratius quam a WITHERING, SIMS, et WILLAN, descripta fuit. Inter

medicos continentales qui de hoc morbo disseruerunt, NAVIER et PLENCIZ eum optime illustrarunt. Nunc num Scarlatina morbus sit prorsus novus, primum inter Hispanos et Italos visus, ut eorum medicis perhibetur, vel num medicis antiquioribus, sub indole mitiore cognitus (ut ille a SYDENHAMO descriptus, cui nomen morbi, illo testante, vix debet tribui), et ab illis cum aliis morbis conjunctus, non probe constat.

DE DEFINITIONE ET VARIETATIBUS.

INTER medicos hodiernos de natura et origine istorum morborum non convenit, quibusdam affirmantibus Scarlatinam et Cynanchen morbos esse diversos. Hæc opinio CULLENO placet, cui persuaderetur contagionem esse specificam quæ eruptionem Scarlatinæ, absque ullo impetu, ad guttur infert. Plerique medici hodierni concedunt plurimas esse varietates Scarlatinæ, quæ verbis sequentibus definitur.

" Pyrexia contagiosa, membrana oris, linguæ, gutturis et tonsillarum plus minusve rubra, tumi-

da et sæpe exulcerata, et die tertio vel quarto vultus tumidus et floridus: simul in cute passim rubor floridus, maculis amplis, tandem coalescentibus, post tres dies in squamulas fufuraceas abiens: superveniente dein sæpe anasarca."

Quatuor varietates hujus morbi a scriptoribus medicis enumerantur. *Primo*, Cum cutis est colore rubro florido, comitantibus febre leni, et parvo vel nullo tonsillarum affectu; hic vocatur Scarlatina Simplex.

Quando cum affectu systematis supradicto, tonsillæ, lingua et fauces tumidæ, rubræ vel ulceratæ sunt, morbo nomen Scarlatinæ Anginosæ a medicis imponitur.

Si eruptio die primo vel secundo morbi evanescit, aut maculæ nigræ vel lividæ tantum restant, cum magna debilitate, pulsu frequentissimo et debili, et crustis mucosis in faucibus apparentibus, Scarlatina Maligna adesse dicitur.

Ultimo, cum os, fauces et lingua modo supra dicto afficiuntur, et nulla efflorescentia cuti adest, morbus Cynanche Maligna nuncupatur.

Nunc oporteat me quam brevissime explicare,

cur talis morbus complexus ex una contagione specifica admota invaderet.

Medicis probe innotescit, contagionem ortum præbentem alicui ex his morbis, alios sæpe induxisse; aliquo igitur Scarlatina simplice affecto, sæpe fit quod vicinorum qui contagione correpti sunt, alii Scarlatina Anginosa, alii Scarlatina Maligna, aliique Cynanche Maligna, laborant; et ab auctoribus recentibus siquando morbus epidemice sævit, omnes varietates supra traditas plus minusve accedere, fertur.

Cum igitur effectus adeo manifesti ex una causa tantum oriuntur, haud alienum erit quærere cur res sic se habeant. Constitutio corporis, conditio cœli et tempestatum, harum varietatum causæ sunt.

His præmissis, ad symptomata morbi describendum nunc pergam; et primo

DE SCARLATINÆ SIMPLICIS SIGNIS.

SYDENHAMUS clarissimus hunc morbum optime descripsisse videtur. Ac alii morbi febriles

horrore, debilitate artuum, et confusione idearum, adoritur. His malis adsunt strictura præcordiorum, nausea, vomitus, sitis, cum cute sicca et calidissima; circuitus sanguinis celerior fit; ictibus centum vel amplius pulsus in minuto horæ. Fauces nunc inspectæ rubicundulæ apparent et ulceratione immunes. Die secundo vel tertio collum et facies punctis innumeris, quæ in spatio viginti quatuor horarum per totam corporis superficiem observantur, efflorescere incipiunt. Efflorescentia, die tertio vel quarto, interstitiis evanescere plerumque incipit. Paulo post sudor lenis per totum corpus erumpit, et symptomata febrilia cedunt. Die septimo prorsus abiit, et desquamatio cuticulæ furfuracea fit, quæ rubore evanescente finitur. Anasarca haud raro supervenit. Nonnulli ægri, meipso teste, sine aliqua febre, fere sine molestia, evaserunt.

DE SCARLATINA ANGINOSA.

Multo sæpius fit quod una cum signis supra dictis, quæ revera sunt vehementiora, tonsillæ,

fauces, et lingua simul afficiuntur et ulcerantur. Hæc forma morbi apud medicos nomen Scarlatinæ Anginosæ adepta est.

Symptomata quæ prægrediuntur Scarlatinam Anginosam, horrores sunt, cum ruboribus alternantes, languor ingens, debilitas et ægritudo, dolor capitis, et materiæ biliosæ vomitus.

Cum primis signis febrilibus, sensus rigoris et doloris obtusi musculis cervicis tempore matutino adest; et die secundo guttur asperum est et contractum, vox gravis, et deglutitio dolorifica *. Faucibus nunc inspectis, lingua et membrana mucosa oris ruberrimo esse colore, atque tonsillæ et uvula inflammatione gravi correptæ invenientur. Inflammationi † circa diem quintum vel sextum morbi superveniunt crustæ mucosæ, coloris albidi vel cinerei, quæ ulcera male sana, lata et humorem fœtidum secernentia, tegunt; spiritus olet. Symptomata Catarrhi eodem tempore aliquando observantur, nimirum tussis, gravitas capitis, materies acris e naribus effusa, partem in quam incedit excorians. Interdum glandulæ parotides,

---

* Bateman. † Armstrong.

submaxillares, vel glandulæ tument, et tarde in suppurationem abeuntes molestiam efficiunt.

Morbo ineunte, cum æger rigoribus et debilitate laborat, pulsus acceleratus et oppressus est, et paulatim plenior et validior fit, dum stadium excitationis explicatur. Symptomata febrilia vesperem versus ingravescunt, delirio sæpe accedente, respiratione accelerata et laboriosa facta, et calore cutis ad gradum centesimum et octavum, vel etiam duodecimum FAHRENHEITIANI ascendente. Tumor et inflammatio gutturis, efflorescentia cutis abeunte die quinto vel sexto febris, absque ulla proclivitate ad ulcerationem facta, sæpe evanescunt *. Hoc tamen minime perpetuum est; ulceratio cum summa debilitate sæpe accedit, atque anasarca faciei et extremitatum nonnunquam supervenit.

DE SCARLATINÆ MALIGNÆ INDICIIS.

NOMEN hujus speciei morbi aliquid in natura ejus vitii infestum indicare videtur, et procul

* BATEMAN.

dubio hæc forma est morbi teterrima. Hæc est varietas quæ infantes sæpissime invadit, et frequenter fit lethalis. Accessio ejus pariter ac plerorumque Exanthematum sæpe est subita, ægro correpto, ac in Scarlatina Anginosa, horroribus, nausea, et vomitu, summo languore et debilitate, dolore capitis, dorsi et lumborum, tumore et inflammatione tonsillarum; efflorescentia cutis die secundo vel tertio visa est, et die sequente plerumque ex toto evanescit, vel maculæ subrubræ vel purpureæ, Doctore ALISON testante, tantum relinquuntur. Cum sequuntur summa debilitas, oppressio præcordiorum, pulsus parvus, exilis et celerrimus, cutis est calore minus fixo et vehemente, oculi sunt subrubri, genæ sunt colore opaco-rubro, pellicula nigra in lingua, sordesque atræ in dentibus conspicientur. Inflammatio gutturis colore fit purpureo, crustæ nigræ mucosæ ulcera gangrænosa fere eadem ac in anginosa tegentes, videbuntur. Materia acris ex ulceribus effunditur, quæ fauces partesque vicinas irritat, spiritus valde fœtidus est, fauces pituita viscida quæ respirationem impedit, et sonitum crepitantem æque ac deglutitionem difficilem et dolentem inducit, obturan-

tur. Urina parca et pallida vel ruberrima redditur. Functiones sensorii mature turbantur, ægro, die secundo vel tertio morbi, plerumque delirante; et delirium in coma aut convulsiones, quæ hebdomade secunda vel tertia fiunt lethales, paulatim transit. Alios diarrhœa gravis, quæ haud raro fit lethalis, adoritur. In aliis autem petechiæ sunt lividæ, sanguinis profluvium ex ore, gutture, intestinis, aliisve partibus, cui æger cito succumbit; et tantum abest quin alteri qui periculis magis instantibus supersunt, tempore quo cutis colorem suum naturalem recuperat, ad sanitatem ut solitum est restituantur, ut anasarca vel atrophia corripiuntur, et in decursu paucarum hebdomadum pereunt; dum nonnulli qui haud vehementissime affecti fuerunt, ulceratione gutturis, suppurationibus longis glandularum, tussi, dyspnœa, vel febre hectica, diu laborant.

DE CYNANCHE MALIGNA.

Hic morbus eodem modo ac Scarlatina Maligna, nimirum, febre et rubore et inflammatione

faucium vel membranæ mucosæ oris, incipit. Die primo vel secundo morbi symptomata typhi prodeunt, guttur cito ulceratione corripitur, cutis tamen efflorescentiam nunquam induit, quamvis maculæ lividæ diversis locis observentur. Alias cutis prorsus immunis est eruptione. Hæc Scarlatinæ varietas est periculosissima.

DE DIAGNOSI.

Rubeola, primo intuitu, morbum de quo agitur magnopere refert, sed quia ratio medendi longe est diversa, haud alienum sit signa diagnostica inter hos morbos ostendere. Accessioni febrili quæ morbillorum eruptionem prægreditur, signa catarrhalia adsunt, nimirum gravitas, rubor et suffusio oculorum, effusio seri e naribus, quæ sternutationem sæpe ciet. Tussis sicca et rauca quoque adest, cum dyspnœa plus minusve vehemente, aliisque signis catarrho propriis. Inflammatio faucium, linguæ et oris, quam utpote partem Scarlatinæ constituentem memoravimus, laborantes Morbillis haud infestat.

In Scarlatina eruptio die secundo vel tertio prodit, et colore est floridissimo, qui in superficiem plerumque diffunditur.

In Rubeola eruptio die quarto, et aliquando tam sero ac sexto, febris plerumque apparet. Est colore opaco-rubro, et punctis fere circularibus se exhibet, dum hæc augentur in numero; coëunt, maculas parvas figura irregulari constituentes, sed semicirculos vel crescentes potius referentes *, cum insterstitiis cutis sanæ interpositis. Calor cutis multo vehementior est in Scarlatina quam in Rubeola.

Sequelæ solitæ Scarlatinæ sunt anasarca, tumores glandularum, et in nonnullis exemplis hydrocephalus. Sequelæ autem Rubeolæ sunt inflammatio pulmonum, ophthalmia et sæpe phthisis pulmonalis, eruptiones chronicæ cutis vel marasmus, et, eruptione Rubeolæ abeunte, diarrhœa sæpe supervenit. Omnibus his signis perpensis, haud erit difficile Scarlatinam e Rubeola dignoscere.

Cynanche Maligna pro varietate Scarlatinæ a

---

* Willan.

scriptoribus peritissimis hujus ævi tantum habita est, utraque enim, dicunt, eodem tempore est epidemica, et exempla haud raro sunt hujus morbi, sub omnibus ejus formis, ex eadem contagione in eadem familia grassantis. Haud alienum erit hic monstrare quomodo Cynanche Maligna e Cynanche Tonsillari dignoscenda est. In illa, signa typhoidea, morbo ineunte, prodeunt. Ulcerationes in tonsillis sunt colore nigro, et membranam mucosam oris præcipue occupant, atque gangrænam versus tendunt. Spiritus quoque valde fœtidus est, et multum debilitatis adest.

In Cynanche Tonsillari inflammatio est phlegmonodæa, tonsillas præcipue occupans, quæ tumidæ sunt, et inflammatione correptæ. Febris sympathetica est Synocha, et inflammatio tonsillarum, vel resolutione aut suppuratione finita.

Signis diversis formis hujus morbi propriis et symptomatis diagnosticis recensitis, nunc pergam loqui

DE PROGNOSI.

Sub hac breviter exponam quibus signis salus vel periculum mortis expectetur. Cum eruptio florida est, intumescentia gutturis et glandularum modica, calor insignis, cum pulsu pleno et regulari; cum eruptio dies quatuor vel sex perstiterit, et tunc paulatim abit, affectu gutturis et signis febrilibus simul mitioribus factis, prognosis fausta erit; quia valetudo, his præsentibus, multo sæpius redit. Prognosis potius erit infausta cum efflorescentia cutis et febris levata fuerant, et tamen intumescentia tonsillarum perstat; rebus enim sic existentibus, periculum est ne signa febrilia redeant, quæ in mortem etiam desinunt.

Periculum semper adest finis infausti, cum efflorescentia die primo vel secundo evanescit, vel colore fit purpureo, cum inflammatione erythematica faucium et spiritu valde fœtido; cum vires valde deficiunt, calor cutis haud magnus, et sensorium multum turbatur. Cum his accedunt coma, subsultus tendinum et convulsiones, mors

cito superveniet. Illi quoque in periculo versantur quibus sunt petechiæ fuscæ vel lividæ, cum sanguinis profluvio ex ore, naribus, et intestinis vel aliis partibus, cum sudore frigido et glutinoso in cutem, cum urina parca, pallida, vel rubra. Sed cum nulla istorum symptomatum infestorum adsunt, de convalescentia non locus est dubitandi.

DE RATIONE MEDENDI.

Curatio hujus morbi intra hos paucos annos satis stabilita est, post effectus purgantium a Doc. Hamilton hujus urbis plene demonstratos, imprimis cum vires temperiei diminutæ in morbis febrilibus a defuncto Doctore Currie fuerunt prolatæ.

Haud est in animo mihi curationem quæ conveniat singulis exemplis hujus morbi tradere; sæpe enim fit, quod Scarlatina Simplex in Anginosam, et hæc iterum plus minusve in Malignam transit; satis, me judice, igitur erit remedia præ-

cipua morare, leges eorum, quandoque atque quousque usurpanda sunt exponere.

Calor et frigus pariter nocent; conclave accessum liberum aëris habere, temperieque esse jucunda oportet. Hæc ad gradum sexagesimum FAHRENHEITII idonea erit. Attentio summa ad munditiem tribuenda est. Lintea ægri sæpe mutari, urina et dejectiones statim tolli debent, et conclave aceto aromatico vel acido muriatico spargatur; quibus modis sæpe penes nos erit ne morbus per contagionem propagetur cavere.

In Scarlatina Simplice, sæpe tantum opus est situ recumbente corporis, laxantibus lenibus, ægro quoque frigidulo servato; vel si quando calor cutis modum naturalem superat, hæc aceto et aqua sæpe lavetur.

Persæpe tamen desiderantur alia; nimirum sanguinis missio, medicamina quæ vomitum, alvum et sudorem movent, exulcerantia, rubefacientia, gargarizantia, roborantia, stimulantia. De singulis nunc disputandum.

De Sanguinis Missione.—In morbo de quo agitur, Venæsectio a quibusdam viris haud me-

diocribus lædere existimata est, utpote summam prostrationem virium inferens; sed, nunc constat, cum signa febrilia sunt gravia, pulsus plenus et validus, eruptio colore florido, cum dolore capitis, et rubore vultus, sanguinis missionem prorsus esse necessariam. Si hæc tempestiva sit et judicio peracta, inflammationi organi affecti occurret, et sic, magna ex parte, periculo mortis e delirio et comate obstabit. Cum indicia quoque inflammationis thoracis vel abdominis adsunt, sanguinem haud revera eadem quantitate, ac cum hi affectus idiopathici sunt, sed pro auxilio, mittere liceat; post symptomata urgentia summota, remediis mitioribus, ut vesicatoriis et purgantibus, potius fidere oportet, quæ quamvis remedio primario auxilientur, iisdem solis minime est fidendum.

Copia sanguinis mittenda, constitutione et ætate ægri, et quoque stadio morbi, nitetur. Cum accessio inflammatoria in organum recens est, turbatio constitutioni illata e functione vitiata præcipue oritur, et remediis antiphlogisticis facile cedit, statu debilitatis simplicis relicto, quo corpus viribus constitutionis cito liberatur. Sed cum symptomata inflammatoria haud interrupta

per aliquod dies perrexerunt, structura partis affectæ vitiari incipit. Venæsectio nimia, rebus sic existentibus, vires ægri, sine morbo sublato, ut Dr ARMSTRONG demonstravit, insigniter imminueret. Sanguinem ex orificio amplo et copiose semel detractum, morbum multo plus levare et constitutionem multo minus lædere, quam tarde et parcius atque sæpe missum, plerumque tamen satis convenit.

De Vomitum moventibus.—Vomitus morbo ineunte, idque causis diversis, magnopere prodest. E ventriculo res irritantes quæ febrem intendant tollit, circuitum sanguinis æqualem efficit, omnesque secretiones auget, spasmum solvit, diaphoresin promovet, et sic morbum ineuntem subinde arcet, vel vehementiam ejus sæpe minuit. Tartras antimonii cum ipecacuanha huic consilio optime respondet. Tartras antimonii in parvis dosibus exhibitus, utpote qui exhalationem e cute promovet, effectum sedativum, actionem inordinatam generis arteriosi reprimendo, exercet.

De Alvi Purgatione.—Purgantia a Doctore

WITHERING in hoc morbo lædere existimantur, utpote, quæ venenum in fauces receptum per canalem intestinorum diffundunt; alvus naturaliter soluta hunc effectum quoque habere fertur. Siquando tamen materies acris ex faucibus in ventriculum, et inde in rectum transit, hanc tollendo cathartica nonnunquam prosunt, quippe quæ ne evacuatio e systemate fieret prohibent. Sed Doctor HAMILTON aliique nuper purgantia lenia semper esse utilia satis probarunt.

De Sudorem moventibus.—Diaphoretica, ut præparationes antimonii, et quoque diaphoretica salina, ut carbonas ammoniæ, ad conditionem siccam et aridam cutis tollendam a plurimis qui de Scarlatina scripserunt, multum laudata sunt. Sed diaphoreticum longe optimum et illud unde commodum certissimum expectare licet, affusio est frigida; sæpe enim fit quod post hanc usurpatam pulsus minus frequens evadit, sitis levata est, lingua humida, cutis mollis et frigidula fient, perspiratio generalis erumpit, et his signis faustis somnus reficiens accessit. Temperies corporis postea augescet cum languore, siti, aliisque symptomatis fe-

brilibus, sed eodem remedio repetito, celeriter cedent.

Regulæ a Doctore Currie propositæ de affusione frigida admovenda, satis sunt simplices. Cum calor cutis multum superat modum sanitati convenientem, illaque simul sicca, vel saltem sudore non obruta, et cum signa non adsunt inflammationis cerebri, thoracis, vel abdominis, sine metu, quoties calor morbidus vel signa febrilia urgent, repetatur. Cum sensus subinde adest frigiditatis cum superficie calida, affusio frigida infra gradum sexagesimum Fahrenheitianum non debet usurpari.

Quamvis hoc remedium in morbo de quo sermo est, tam sæpe utile sit, tamen haud raro accidit ut effectus ejus pro tempore tantum perstant, eidemque igitur soli non plene fidendum est. In fere omnibus morbis, et præ aliis Scarlatina et multis aliis affectibus febrilibus, multum commodum ex illis remediis conjunctis sæpe oritur, quia affusio frigida diaphoresin sæpe infert, caloremque morbidum, et frequentiam pulsus, sitim, aliaque signa febrilia minuit. Venæsectio quoque ad hæc symptomata tollenda mag-

nopere inservit; cum igitur febris ardet et æger plethoricus cum pulsu pleno, et valido, sanguinis missio modica affusioni frigidæ magno erit auxilio, et si his purgantia adjicimus, sine quibus nihil multum potest adjuvare, spes omnia symptomata urgentia cito superandi raro frustratur.

De Exulcerantibus.—In Scarlatina Anginosa, vel signis inflammationis cujusvis organi, emplastrum vesicatorium ad partem affectam applicare sæpe prodest. Commodi hinc derivati testis sum; sed periculum accidere posse cum signa putredinis adsunt, inter plerosque convenit. In Scarlatina igitur maligna, et cynanche maligna, vesicatoria non sunt præcipienda, quia pars gangræna nonnunquam lethali evasura corripi potest. Sed linimentum stimulans, vel cataplasma e sinapi confectum, usurpari potest.

De Gargarizantibus.—Quod ad Gargarismos pertinent, per totum decursum morbi, hi utpote detergentes in fauces ope syringis sæpe immissi prosunt.

Hi tollendo res irritantes, ne inflammatio et

ulceratio faucium ingravescant, prohibent. Partes quoque stimulant, separationem crustarum mucosarum sic expediunt, et a proclivitate partium ad gangrænam cavent.

Ad primum effectum inducendum, infusum rosæ gallicæ vel acetum dilutum, et ad secundum infusum capsici annui vel decoctum cinchonæ cum acido muriatico, bene conveniunt. Inhalatio gasis oxygenii, et usus acidi oxymuriatici, a quibusdam auctoribus laudata sunt.

De Roborantibus et Stimulantibus.—Hæc in Scarlatina Maligna præcipue sunt utilia, cum summa adsunt debilitas aliaque symptomata jam tradita, quæ statum morbosum generis nervosi indicant. Utilissima sunt vinum et opium pro re nata, et acidum sulphuricum vel muriaticum, quod medici vetustiores proclivitati putridæ humorum obstare existimarunt. Conditione ventriculi sinente, cinchona quoque exhibeatur. Camphora vel subcarbonas ammoniæ cum vino mistus sæpe usurpatur.

Quando simul cum signis debilitatis hæmorrhagiæ e partibus diversis fiunt, Astringentia

intus et extrinsecus, una cum aliis remediis, sedulo sunt usurpanda.

Anasarca interdum Scarlatinæ superveniens, his medicamentis quæ solvunt alvum, et exinanitiones per vesicam et cutem promovent, tollenda est.

FINIS.